

Universitätsbibliothek Wuppertal

Plvtarchi Chaeronensis Moralia, Qvae Vsvrpantvr

Svnt Avtem Omnis elegantis doctrinæ Penvs : Id est, varij libri: morales, historici, physici, mathematici, denique ad politioem litteraturam pertinentes & humanitatem : omnes de Graeca in Latinam linguam transscripti summo labore, cura, ac fide

Plutarchus

Francoforti ad Mœn, M.D.LXXXII

Coniugalia præcepta

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-289](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-289)

ei bos prædixerat, cum eidem seruirent domino, & parte oneris leuare ipsum camelus recusasset, Fore ut paulo post & ipsum, & totum onus cogeretur gestare: (mortuo enim bene id impletum est) ita animo quoque contingit, ut dum defatigato corpori & quietem flagitati nullam remissionem concedere vult, paulo post febris orta aut vertigine, libris & disputationibus. omissis cogatur vna ægrotare ac dolere. Rectè itaque Plato consulit, neque corpus esse absque animo, neque sine corpore animum mouendum: sed quandam esse velut iunctorum ad bigas equorum debere momentorum æqualitatem. ut quo maximè tempore corpus animi conatus laborésque adiuuat, eo id maximè etiam curemus atque foueamus, pulcramque ei illam & amabilem sanitatem præstemus: idque nobis summum ab eo bonum, omnium quæ potest, exhiberi existimemus, cum in cognitione virtutis vsuque, in dicendo & agendo nullum nobis obijciat impedimentum.

Coniugalia præcepta.

20

PLUTARCHVS POLLIANO ET

Euridicæ S. P. D.

25 **P**ost patriam legem, quam vobis in coniugalem thalamum conclusis antistita Cereris imposuit, arbitror etiam orationem nostram vtile aliquid legique cõsonum facturam, si vos vna compellet, hymenæumque concelebre. De musicis modis vnus Hippothorus appellatus fuit quoddam scilicet eo equi ad coitum excitarentur. Sed cum mul-
30 tæ sint in philosophia pulcre disputationes, nulli eorum proponenda videretur esse nuptialis oratio, quæ ad vitæ societatem coniungentes sese demulcens, placidus murus sibi cicurésque reddit. Itaque eorum, quæ vos in philosophia educati sæpe audiuistis, capita similitudinibus quibusdam breuibus complexus, ut eo facilius memoriâ teneri possent, commune am-
35 bobus donum mitto, Musas comprecans, ut adesse Veneri, eique operam suam dare dignentur: nõ enim tam lyra aut citharæ quam coniugij & rei familiaris concentum ab ijs instrui oratione, concinnitate, & philosophia conuenit, quando etiam præsci Mercurium iuxta Venerem collocabant, ut

s

osten-

*Prima con-
suetudo.*

ostenderent matrimonij voluptatem maximè orationis in-
digerentemque suadam & Gratias, vt docerent cōiuges in-
uicem quæ vellent impetrare debere persuadendo, non pug-
nando, aut rixando. Solon iubebar sponsam cum sponso
concubituram, priùs manducare malum Cydonium: annu-
ens ea re, primam quæ ore & voce initur gratiam concionâ
debere esse & suauem. In Bœotia sponfam velantes asphara-
gonia coronant. Hæc enim planta dulcissimum ex alperri-
ma spina fructum edit: & sponsa non fugienti aut alpernâti
quod primò insuauem se & difficilem ipsa præbet, mansuetâ
ac dulcem vitæ sociam se præbet. Qui verò primas virginû
dissensiones non sustinēt, nihilo saniores ijs sunt qui in ma-
turæ offensi vix sapore, maturas alijs relinquunt. Multæ eti-
am recens nuptiæ a maritis ob primas actiones abalienatæ
animis, eadem sunt conditione qua qui ictum apïs pertule-
rut dimisso fauo. Sunt autem initio matrimonio præsertim
principiò cauendæ dissensiones & offensa: considerandûq;
est vasa quæ ex partibus compinguntur, initio facile quauis
allisione diuelli: vbi verò temporis progressu compages fir-
mata est, solidèq; coaluerunt, vix igni & ferro dissolui. Sicut
ignis in paleis aut pilis leporum facillimè exardescit, mox
autem extinguitur, nisi materiam quæ ei sustinendo & nu-
triendo sit apta, inueniat: ita amor recens coniunctorum a
forma corporis incensus, durabilis & stabilis non est putan-
dus, nisi in ipsis animis defixus mentemq; occupans viam
nanciscatur affectionem. Quemadmodum pisces medica-
mentis celeriter capiuntur, sed esui inutiles sunt: sic mulie-
res quæ amoris oculis & beneficijs viros captant, voluptate
que in suam potestatem redigunt, stupidos eos, væcordes,
corruptosq; deinceps vitæ socios habent. nam Ciræ qui-
dem nihil profuerant ij quos veneficio mutauerat, neq; vl-
lam ad rem eis vta est cum in canes & asinos degenerassent.
Vlysem autem prudentem virum, prudenterq; secum ven-
santem supra modum dilexit. Quæ verò malunt fatuis impe-
rare viris, quam obtemperare prudētibus: eorum sunt simi-
les, qui in via cæcos ducere malunt, quam videntes & itine-
ris peritos sequi. Non credunt mulieres Pasiphaen cum re-
gis esset vxor, bouem adam asse: eum tamen videant qualdâ,
quæ austeros & temperantes non ferunt, intemperantibus
& libidinosis, veluti canibus quibusdam aut hircis, libētius
conue-

*Amor de-
votus.*

con-
pos-
tant
ac
lib. vel
illat
op
gnit
Sole
ei app
10 cum
10 scon
mult
steve
iuge
17 mun
in fa
sent
eccl.
tus a
20 hic
dis
xui
erit
sua
25 Car
xor
elij
&
ri
30 ne
li
on
na
sic
37 res
pra
tam
pelli
uum
rum

consuescere. Qui ob imbecillitatem aut molliciem non
 possunt insilire in equos, illos condeces faciunt vt se submit-
 tant ac ingeniculent. eodem modo quidam ducendis nobi- *Imparum*
 lib. vel opulentis vxoribus, non sese meliores redigunt, sed *coniugum.*
 5 illas deprimunt, vt humilibus facilius imperare possint. cum
 oportuerit ratione habita vt magnitudinis in equo, ita di-
 gnitatis in muliere, freno vri. Lunam videmus cum longe à
 Sole distat, illustrem esse ac lucidam, obscurari autem cum *Verecun-*
 ei appropinquat. cōtrā pudica mulier maximè cerni debet *da.*
 10 cum suo marito, eo autem absente domi se continere & ab-
 scondi. Non rectè est ab Herodoto dictū, simul cum tunica
 mulierem verecundiam exuere. quæ enim casta est, posita ve-
 ste verecundiã eius loco induit, maximãq; verecundia con-
 iuges tessera maximi inuicem amoris vtuntur. Sicut cum su-
 15 muntur duæ consonæ voces, cantus grauiori adscribitur: ita *Viri impe-*
 in familia rectè instituta omnes res geruntur quidem con- *rum.*
 sensu coniugum, viri tamen vel impetium vel consiliū elu-
 cet. Sol Aquilonē vicisse aliquando traditur. cum enim ven-
 tus adimere homini pallium vellet copioso flatu, arctius
 20 hic id contraxit atque tenuit. Sole autem post ventum cali-
 dis radijs cum vrente, præ æstu simul cum pallio tunicam e-
 xuit. Hoc modo plurimæ agunt mulieres, maritis vi luxum
 eripere conantibus repugnant & irascuntur: placidis verbis
 suadentibus missum eum faciunt, mediocritatẽq; seruāt.
 25 Cato senatu mouit eum qui præsentē filia osculatus erat vx-
 orem seuerius fortassis æquo. Sed tamen si est (vt profectò
 est) turpe coniuges in præsentia aliorum blandiri, osculari,
 & amplecti sese inuicẽ: quĩ non sit turpius coram alijs rixari
 & conuicia mutua iacere? & cum quæ ad amorem perti-
 30 nent agantur in occulto, quĩ conueniens sit maritum in cas-
 siganda, reprehendendãve coniuge libertate vti aperta &
 omnibus conspicua? Sicut speculum auro & gemmis or-
 natum nihil valet, nisi similem exhibeat rebus imaginem:
 sic diuitis mulieris nullus est vsus, vitam viro similem, mo-
 35 resq; consonos non gerentis. Vitiosum est speculum &
 prauum, quod læti imaginem tristẽ, tristis ac tetrici læ-
 tam atque reudentem præbet. ita & vxor inutilis ac intem-
 pestiua est, quæ lusum quarẽte oblectationemq; viro tor-
 uum tuetur, serias res agente ludit ac ridet: quorum alte-
 rum insuauis est, alterum contemnentis maritũ. Sed quæ ad-

modum geometræ dicunt lineas & superficies non seipsis moueri, sed motus corporum comitari: ita vxor debet non proprias habere affectiones, sed mariti seria, ioca, austeritatem vultus, risumque subsequi. Qui vxores secum edere ac bibere molestè ferunt, condocefaciunt eas vt solæ sese impleant: sic qui non hilarè cum vxoribus suis viuunt, iocisq; & risui socias non adhibent, docent eas seorsim sibi voluptates quærere. Persarum regibus in cœna ac conuiujs adfidet reginæ: verum vbi ludendi & inebriandi incessit voluntas, eas amandant, & musicas pellicèsq; aduocant. rectè hoc quidem, quod ebrietatis & libidinis suæ participes fieri vxores nolunt. Ergo si quis priuatus libidinis incontinens & malè moratus aliquid scorto aut ancilla abusus deliquerit, non indignari vxor aut iniquè ferre debet: sed existimare maritum veritum sua libidine & temulentia ipsi esse iniuriosum alid diuertisse. Reges si musicam ament, multos efficiunt musicos: si litteras, litteratos: si athletas, exercitationibus corporis deditos. ita vir si corporis cultui studet, vxorem ornandi corporis studiosam reddit, si voluptatibus indulget, libidinolam & meretriciam, si honestatem & pulcras res sectatur, temperantem ac modestam. Iuuenula quædam Spartana interrogata an iam cum viro rem habuisset, Non, inquit, sed vir mecum. hic modus, ni fallor, matronam decet, vt neque fugiat neque morosam se præbeat viro aliquid tale inceptante, neque ipsa initium faciat: hoc enim meretricium est & proteruum, illud superbum & ab amore alienum. Mulier amicos peculiare habere non debet, sed viri amicis vti. Ergo cum ex amicis primum potissimumque locum diti sibi vindicent, eosdem quos maritus nosse deos & colere solus vxor debet, superuacaneis autem religionibus & alienis superstitionibus fores occludere. nulli enim deum grata sunt sacra, quæ mulier clanculum & furtim facit. Ait Plato felicem beatamque eam esse urbem, in qua hæ voces, Meum, non meum, rarissime audiuntur: quod ibi ciues rebus, quæ alicuius sunt momenti, quam maximè vtantur communibus. E coniugio multo magis tolli istæ voces debent. Etenim sicut medici aiunt ictus sinistrorum in dextris partibus sentiri: ita afficijs quæ viro eueniunt mulierem par est, atque ad eodè vicissim. vt sicuti vincula alternis nexibus robur mutud accipiunt, ita communitas coniugum reciprocam bene-

Communitas rerum in coniugio.

L. b. 5. de re pub.

- benevolentiam vtrinque; vsurpantium constat. Ipsa enim natura miscendis corporibus nostris vtrinque partem sumit easque confundit, vt amborum commune sit quod produci-
 5 tur, neutrumque; liceat quid suum, quid alienum sit discernere.
 Proinde talis opum communitas maximè coniugium de-
 cet, vt in vnâ omnia congerant commisceantque; substantiam,
 neque pars habitus alia propria, alia aliena habeatur,
 sed omnia propria ducantur, nihil alienum. Sicut vinum
 aqua temperatum, tametsi aquæ adsit plus, vinum ta-
 10 men vocamus: ita rem familiarem æquum est viri appella-
 ri, quamuis maiorem partem attulerit mulier. Inhiabat
 opibus Helena, voluptatibus erat addictus Paris. contra
 Vlyses prudens, pudica Penelope. itaque; horum coniugium
 fuit beatum & dignum æmulatione: illorum coniunctio I-
 15 liadem malorum Græcis barbarisque; intulit. Romanus ille a-
 micis castigantibus, quod pudicæ, diuiti, formosæque; vxori
 nuncium remisisset: pede porrecto, Hic quoque; inquit, cal-
 ceus pulcer ad spectum est ac nouus, sed nemo scit vbi me pre-
 mat. Ergo non doti, nõ natalibus, nõ puleritudini fidere de-
 20 bet matrona, sed ijs rebus freta esse, quibus maximè maritus *mna in se*
 tangit: consuetudine inquam, morum comitate, & obse- *reposita de*
 quio: vt ea in singulos dies non dura, neque molesta, sed con- *bet habere*
 cinna & grata iucundaque præstet. Quo enim pacto medi-
 ci febres ex occultis causis paulatimque collectis ortas pe-
 25 riculosiores iudicant ijs quæ illustribus & manifestis de cau-
 sis existunt: eodem quæ plerosque; fallunt exiles, continen-
 tes quotidianæque; offensæ coniugum grauius diuellant
 læduntque conuictum. Rex Philippus deperibat Thesali-
 cam quandam mulierem, quæ veneficio eum circumuenif-
 30 se dicebatur. operam dedit Olympias, vt eam in suam redi-
 geret potestatem. cum in conspectum ea reginæ venisset, ne-
 que forma tantum videretur egregia, sed & collocata esset
 neque abiectione neque imprudenter: Facessant, inquit Olym-
 35 pias, calumniæ. tibi tua in te ipsa sunt reposita veneficia. ite-
 dem eam benevolentiam mariti nulla res potest abolere
 quam vxor moribus & virtute sibi parauerit, dotem, genus,
 medicamenta, ipsumque; adeo Veneris cestum in sese ipsa
 collocans. Rursum Olympias cum aulicus quidam adole-
 scens formosam, sed malè audientem duxisset vxorem: Hic,
 inquit, si ratione esset præditus, nunquam profecto oculis

*Aemily
Pauli est.*

*Muliero.
mna in se
reposita de
bet habere*

matrimonium coiuisset. Enimuerò non oculis, non digitis
ita res agenda est: quod faciunt nonnulli, dotem supputan-
tes sponiæ, non explorantes qualis in conuictu sit futura.

*Speculi
suis.*

Socratis est præceptum, adolentes, si in speculum intue-
antur, turpes forniæ vitium debere morum virtute corrigere,
formosos adhibere diligentiam, ne pulcritudinem praui-
tate morum contaminent. Sic matrona etiam in mani-
bus speculum vbi erit, sic secum loquatur, deformis si est,
Quid essem, si defoter pudicitia? sin elegante forma, Quan-
ti nam si accedat pudicitia? maius enim decus adfert defor-
mi amor moribus conciliatus probis, quam si ob pulcritu-
dinem diligeretur. Lyfander cum Sicilia tyranus filiabus
eius vestes cinnabosque preciosos mitteret, dona ista repu-
diavit: quòd diceret hoc ornatu filias suas dedecoratu poti-
ùs quam ornatum iri. Sed prior Lyfandro id docuit his ver-
sibus Sophocles:

Ornatus.

*Non hac ornatus, sed deformitas, tua
Mentis (miser) purabunturq; insania.*

ornatus enim, vt dicebat Crates, est id quod ornat. præstant
autem hoc ea, quæ decentiorem faciunt mulierem non au-
rem id aurum potest, aut smaragdus, aut coccina tinctura,
sed quæ grauitate, modestia, ac verecundia informant. Qui
Iunoni nuptialium seu pronubæ sacrificant, ij fel non cum re-
liqua conficiunt victima, sed exemptum apud altare abijci-
unt quo instituto legis autor obscure significauit, coniugio 25

Ira.

nunquam debere bilem iramque interessè. nam matris fa-
miliæ austeritatem esse oportet, vt & vini, vilem suauita-
teque conditam: non aloes in morem acerbam, & quæ me-
dicamenti instar ingrata sit. Xenocratem Plato, virum bo-
num & honestum alioqui, sed moribus aliquanto seuerio- 30
ribus, hortatus est vt Gratijs sacrificaret. existimo autem pu-
dicæ mulieri apprimè apud virum gratijs opus esse, vt, quod
aiebat Metrodorus, suauiter cum eo vitam degat, neq; pu-
dicitia sua stomachum ei moueat. nam neq; mundicijs fru-
gali, neq; blanditiæ ei quæ maritum diligit, negligendæ sunt: 35
cum morositas in suauem reddat modestiam, iremque for-
des simplicitatem. Quæ aridire viro metuir, aut aliquid a-
liud id genus facere, ne videatur proterua & audax, nihil ab
ea distat, quæ vt non videatur vnguento caput habere deli-
bitum, etiam oleo abstineat, & ne fucare faciem putetur, ne

Venusitas.

lauet

lauet quidem eam. Videmus verò poetas atq; oratores, qui
 genus loquendi plebeium, iliberale, ac malè affectatum vi-
 tant, rebus ipsis & earù dispositione ac sententijs artificiosa
 industria cōparatis delectare ac mouere auditores. ita sanè
 5 matrona etiam rectè faciet, si omnia superuacanea, metretici-
 cia, & ad pompam pertinentia fugiat atq; repudiet: in eòq;
 operam ponat, vt moralibus & ad vsum vitæ pertinentibus
 officijs maritum demereatur, pulcritudinèq; vitæ cum volu-
 ptate coniunctæ eum adsuefaciat. Si qua tamen natura est
 10 austera, nihilq; iucundi admixtum habet ingenio, neq; vfu
 vitæ sua uxor reddi potest: a quo animo id ferre maritum de-
 cet. & sicut Phocion Antipatro respondit, parum honestam
 à se rem petent, Non potes me & amico vt & adulatori
 iudicare de pudica & austera matrona, Non polle cum eadē *Ornatum.*
 15 se & vt uxore & vt scorto viuere. Ægyptia mulieres maiorum
 instituto calceis non utebantur, vt domi meminissent tem-
 pus exigendum hodie domi mansuræ sint pleræq;, si aureos
 calceos, & armillas, & periscelides, & purpurâ atq; vniones
 auferas. Theano tunica se amiciens cubitus exeruit. & di-
 20 centi cuidâ, Pulcer hic cubitus est, respondit: Atqui non est
 publicus. cæterùm pudica non cubitus solùm, sed & sermo
 publicus esse non debet, voceq; ad alienos, tanquã parum
 conueniente denudatione, abstinendum ei est. in voce enim
 insunt indicia omnis generis animi affectionum Eleiōrum
 25 Veneres Phidias fecit, quæ testudinem calcaret: quo signo
 mulieres domi sibi degendum esse, seruandùmq; silentium
 monebatur. nam aut viro, aut per virum mulieri loquendum
 est, neq; indignè ferendum, si vt tibicen aliena lingua vocem
 edit propria grauiorem. Diuites & reges cum philosophos
 30 in honore habent, & se & eos ornant. philosophi diuites si de-
 merentur, non gloriam illis addunt, sed sibi ipsis auferunt.
 Simili ratione mulieres laudè merentur, cum se maritis sub-
 mittunt: imperium affectantes, plura cōtra decorum agunt,
 quàm ipsi viri qui dominium hoc sustinent. Imperare autem
 35 maritus mulieri debet, non vt dominus rei quæ possidet, sed
 vt animus corpori, ipsdem affectib; obnoxius, & beneuolen-
 tia deuinctus: vt autem animi est curâ corporis gerere, non
 tamen voluptatibus eius inferuire ac cupiditatibus: ita læ-
 tum esse debet & officiosum mariti imperium. Corporum
 philosophi alia aiunt ex partibus deuinctis constare, vt
 6 4 classẽ,

classem, exercitum, alia ex compactis, vt domum, vt nauim,
 alia ex vnitis & in vnam naturam concretis, vt animalium.
 id si huc accommodare libeat, coniugium quoque mutuo
 amantium, ex vnitis constat: dotis liberumve gratia coha-
 rens, ex compactis: cōcubitu solo iunctorum, ex deiuñctis, 5
 quales contubernio vt quàm vitæ cōmunitate rectius cen-
 seas. Sicut autem humores physici dicunt totos totis permi-
 sceri, ita oportet matrimonium cōtrahentium, corpora, o-
 pes, amicos, familiaresq; inuicem cōfundi. Etenim Roma-
 nus legislator lege cauit, ne coniugum alter alteri donaret 10
 quicquam: nō vt nullius rei participes fierent, sed vt omnia
 communia iudicarent. Lepti, quæ Africæ vrbs est, moris est
 patrij, vt postridie nuptiarum sponsa ad socrum mittat pe-
 ritum ollam. illa verò negat, neq; se habere ait: vt nouerca lē
 socrus. socrus animum initio statim sponsa experta, si quid postmo 15
 dō contingat asperius, nō ferat iniquiore animo. Hoc nos-
 se conuenit mulierem, & obuiam ire offensarum occasioni.
 petitur autem hæc ex æmulatione beneuolentię, cui mede-
 ri hac vna ratione potest, si peculiarem sibi mariti conciliet
 beneuolentiam, eam qua is matrem prosequitur non auer- 20
 tat aut deminuat. Filios matres magis amare videtur, quod
 ab his se adiuari posse putat: filias patres, vt suo presidio in-
 digentes. & qui se mutuo honore afficiunt, operam dant vt
 quod alteri maximè familiare est, id alter gratum habere,
 eōq; apprimè se delectari præ se ferat. Verùm id fortasse ali- 25
 quid diuersitatis habet. Illud scitū est, si mulier mariti paren-
 tibus conspiciatur plus honoris tribuere quàm suis, & si quid
 molestum accedit, suos id celans ad viri deferat parentes. si-
 dem enim nobis paramus apud eos, quibus nos confidere o-
 stendimus, & amorem apud eos, quos diligere credimur. Cy- 30
 ri militibus duces mādauerunt, vt hostes cum vociferatio-
 ne irruentes taciti exciperent, tacētibus autem eis ipsi sub-
 lato clamore occurrerent. Prudentes itidem matronæ viris
 ex ira vociferantibus tacent, silentes alloquio demitigant.
 Rectè Euripides inculsat eos qui lyra vterentur ad vini potū. 35
 erat enim musica ad sedandas iras luctusq; potius vocanda,
 quàm ad eneruandum eos qui iam antè erant in voluptate.
 Vos quoq; existimate perperam coniuges facere, qui volu-
 ptatis percipiendæ gratia concumbunt, cū verò aliquid
 iræ & dissidij obortum est, secubant: neq; tum potissimūm
 Vene-

Communis.

Socrus.

*Medea:
Verba nu-
triciis.*

Venerem aduocant, quæ his malis optimè solet mederi. *Ir. ar. re-*
quod & Homerus alicubi docet, Veneri hunc sermonem *medium.*
tribuens:

5 *Desidijs quorum longis imponere finem,
Et thalami infueto iam dudum iungere nexu
Constitui.---*

Iliad. 5.

205.

Semper quidem & vbique locorum cauendæ sunt coniugibus offensiones mutuæ, maximè autem ne in concubitu incidant opera danda. Quædam cum vrgeretur doloribus
10 partus instantis, reclinantibus ipsam in lectum dixit: Et qui possit mederi lectus his malis, in quæ in lecto incidi: sed quæ in lecto nascuntur diffensiones, iurgia, iræ, difficulter possunt alio loco & tempore aboleri. Hermiones videtur verum esse hoc verbum:

15 *Me perdidderunt ad me Ventitando mulieres male.* *Eurip. An-*
verùm id non simpliciter fit, sed cum discordiæ & obrectationes aduersus maritos talibus mulieribus non fores duntaxat, sed aures etiam patefaciunt. Itaque tunc maximè quæ
15 *Sufurri ca*
sapit aures occludit sufurris istis, ne ignis igni addatur. ha-
uendi.

20 bebitq; in promptu Philippi illud, qui fertur amicis in Græcos eum cõcitantibus, quod beneficiis ab ipso affectos maledicere ei dicerent, respondisse: quid ergo agent, si malè ipsis fecero? & cum mulierculæ calumniatrices dicent. Amantem sui te & pudicam vir iniquè tractat: Quid ergo, di-

25 cet, fiet si odisse eum & iniuriis afficere inciperem? Fugituum quidam seruum aliquanto pòst tempore cum vidisset, & insequeretur, isque in pistrinum profugisset, Non erat, inquit, locus vbi te mallem inuenire, quàm hîc. Ita mulier quoque discidiij libellum meditans ob obrectationem: se-

30 que afflicta, ita secum dicat: quid verò riuialis mea maiore cum voluptate cernat, quàm si me excruciarî, & cum viro dissidere, domumque eius & thalamum deserere? Athenienses tres arationes sacras obeunt. vnam in Sciro antiquissimæ segetis monimètum: secundam in Raria, tertiam

35 sub ipsa vrbe, quam à iugo bouum Buzygium nuncupat. His omnibus sanctior est aratio atque satio procreandorum liberum. & Venerem Sophocles præclare vocauit fertilem Cytheream. itaq; huic maximè cum cautione est danda opera viro & mulieri, abstinendumq; incestis & contra leges pugnantis consuetudinibus, neque seminandum vnde

*Liberum
procura-
tio.*

nihil nasci velint, aut si quis existat fructus, eius pudeat & occultetur. Gorgia oratore Olympica orationem recitante, qua concordiam Græcis suadebat, Melanthius: Hic, inquit, nobis de concordia consilium dat, qui sibi ipsi, vxori, & ancillæ, tribus duntaxat priuatim hominibus, concordiam non persuasit. videbatur enim amare ancillam Gorgias, & ancillæ ea de causa obrectare vxor. Ergo probè concinnatam habeat familiam oportet, qui concionem aut amicos concinnare conatur. facilius enim mulierum peccata vulgus fallant, quam quæ ipsi aduersus eas delinquimus. 10
 Felem aiunt vnguentorum odore ad insaniam redigi. eodem modo si vnguentis mulieres afficerentur, flagitium vtrique esset non abstinere vnguentis viros, sed exigua voluptatis causa tantam pati illis euenire miseriam. Quando igitur mulieres ad insaniam adigit non vnguenti vsus, sed 15
 maritorum cum meretricibus coitus: profectò iniustum est, voluptatis gratia parua tantum doloris atque perturbationis vxori inferre: ac non potius purum intactumque ab omnibus aliis mulieribus ad vxorem accedere: sicut ad apes solemus, quas creditum est irritari & pugnare, si quis 20
 eum cum muliere habita aggrediatur. Qui ad elephantos accedunt, splendido, qui ad tauros, puniceo vestita non vtuntur, quòd his coloribus animalia ista in rabiem vertuntur, tigres traditum est tympanorum circum pulsatorum sonitu omnino in furorem conijci ac diuellere seipsas. Cùm 25
 itaque viri quoque sint, quibus coccinæ & purpureæ vestis conspectus sit molestissimus, aut qui cymbala & tympana ægè ferant: quid habet difficultatis abstinere his mulieres, neque perturbare aut irritare maritum, sed placidè & constanter cum eo degere? Mulier quædam Philippo inuitam 30
 se præteriti, Missam me fac, ait: sublata enim lucerna quæuis mulier cuiusuis est similis. id rectè dictum est in adulteros & libidinosos. Matrona verò maximè extincta lucerna debet non cuiusuis mulieris similis esse: sed cùm corpus cerni nequit, elucere pudicitia eius, vnus viri studium, modestiæque & amor. Plato senes hortabatur, vt coram adolescentibus verecundè agerent, vt sic reuerenti senes illi discerent. vbi enim inuerecundè se gerunt senes, ibi nullâ censebat adolescentibus verecundiam ingenerari posse. Hoc 35
 memoria tenere maritus debet, neque vllibi magis quam apud

Verecundia.

apud uxorem verecundiam adhibere, sentiens ei thalamum
 scholam esse aut modestiæ aut impudicitæ. Qui autem ab
 ab iis voluptatibus uxorem auertit, quibus ipse fruatur, per-
 inde agit ac qui iubeat mulierem cōtra hostes depugnare,
 5 quibus sese ipse dediderit. De ornatus verò studio, quæ
 dem, Eurydice, legere, ac memoriæ mandare velim, quæ ad
 Aristyllam scripsit Timoxenes. tu autem, Polliane, noli pu-
 tare uxorem sibi à cultu superuacaneo & sumptuoso tem-
 peraturam, si in aliis rebus videat te sumptui indulgere, &
 10 gaudere auro inducendis poculis, ædibus pictura, molis &
 equis phaleris ac tegminibus preciosis ornando. Non enim
 potest gynæceo luxuria sumptuosa ejici, quæ in me-
 dio obuerfatur virorum conclauis. Ac tu quidem ætate
 iam ad philosophiam matura, iis quæ demonstrantur, ac
 15 cum apparatu docentur mores exorna tuos, & eam obrem
 cum iis, ex quibus utilitatis capere potes aliquid, versare
 ac colloquere. apum verò instar optima quæque undique
 colligens, tecumque domum ferens, mulieri tuæ imperci,
 colloquendūque amica ei & familiaria optima quæque di-
 20 cta reddito.

Namque es ei pater & frater, & venerandaq; mater:

Iliad. 7.

ut illa apud Homerum de suo marito dicebat. ego autem
 sic iudico, non minus facere ad dignitatem viri, si mulier
 eum suum præceptorem, philosophum, magistrumq; ap-
 25 pellet, rerum quidem diuinissimarum ac pulcherrimarum.

Huius enim modi disciplinæ id præcipuum habent, quod
 ab ineptis rebus studiusq; animos mulierum abducunt. pu-
 30 debet nimirum saltationis mulierem geometricam, &
 magicis incantationibus se capi non patietur, Platonis
 Xenophontisq; incantata disputationibus. Quod si qua
 erit, quæ se de cœlo Lunam detracturam polliceatur, stu-
 35 tiam imperitiãq; deridebit mulierū, quæ ista sibi persua-
 deri passæ sint. quippe non rudis astrologiæ, & quæ auditu
 perceperit, quo pacto Aganice filia Hegeteris Theffali pe-
 35 rita pleniluniorum in quibus deficit lumine luna, cum
 præcepisset ratiocinatione quo tempore luna in vmbra
 illi ipsura foret, imposuerit mulieribus persuaseritq; se lunã
 cœlo detrudere. Equidem nunquam auditum est mulierem
 ablique viri consuetudine prolem edidisse. informes autem
 factus ac carnis moles quæ ex corruptis humorib. in vteris
 cocunt,

429.

*Littera mu-
 tieribus &
 uiles.*